

quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. 710  
 est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes.  
 hunc cape consiliis socium et coniunge volentem,  
 huic trade amissis superant qui navibus et quos  
 pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;  
 longaevosque senes ac fessas aequore matres 715  
 et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est  
 delige et his habeant terris sine moenia fessi:  
 urbem appellabunt permissio nomine Acestam.'

Talibus incensus dictis senioris amici,  
 tum vero in curas animo diducitur omnis. 720  
 et Nox atra polum bigis subvecta tenebat;  
 visa dehinc caelo facies delapsa parentis  
 Anchisae subito talis effundere voces:  
 'nate mihi vita quondam, dum vita manebat,  
 care magis, nate Iliacis exercite fatis, 725  
 imperio Iovis huc venio qui classibus ignem  
 depulit et caelo tandem miseratus ab alto est.  
 consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautae  
 dat senior; lectos iuvenes, fortissima corda,  
 defer in Italiam. gens dura atque aspera cultu 730  
 debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante  
 infernas accede domos et Averno per alta  
 congressus pete, nate meos. non me inopia namque  
 Tartara habent tristes umbrae, sed amoena piorum  
 concilia Elysiumque colo huc casta Sibylla 735  
 nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.  
 tum genus omne tuum et quae dentur moenia, disces  
 iamque vale; torquet medios Nox umida cursus,  
 et me saevos equis Oriens adflavit anhelis.'  
 dixerat, et tenuis fugit œu fumus in auras. 740  
 Aeneas 'quo deinde ruis, quo proripis?' inquit,  
 'quem fugis, aut quis te nostris complexibus arcet?'  
 haec memorans cinerem et sopitos suscitavit ignis,  
 Pergameumque larem et canae penetralia Vestae  
 farre pio et plena supplex veneratur acerra. 745

Extemplo socios primumque accersit Acesten